ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: AENEAS SILVIUS PICCOLOMINI. IOHANNES GUALLENSIS. THOMAS SUBPRIOR OCART. HUMBERTUS DE ROMANIS ETC. TEXTE ZUR TÜRKENGEFAHR

Melk, Lambach, u.a., 3. Viertel 15. Jh. Seite 43r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39405
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Nec dyon Syracusanus Cum ad delendam
dyonisij tyrannidem venisset / quia platonis
discipulus fuerat et astronomie peritus
Tali casu deterritus est Quod si Niceas
in Sicilia novisset / non eodem confusus
metu pulcherrimum atheniensium exercitum
prodidisset / Imbuendus est igitur et hac
doctrina puer / sine qua nec poete plenius
intelligi possunt / Semper autem cavendum
est nec sic uni iungamur arti / ut reliquas
negligamus / neve naturalibus inherentes
studijs ac contemplacionibus que moralia
sunt postponamus / et rebus abducamur
agendis

Quod scienciarum predictarum uno die diverse audiende sunt lectiones.

Queret forsitan aliquis Quo pacto
distenda sint hec / et an tradi simul
et percipi possint / Negabunt aliqui quia
confundatur animus / et fatigetur
tot disciplinis / in diversum tendentibus
At hi non satis perspicient / quantum natura
valeat humani ingenij que ita est agilis
et velox ac sic in omnem partem / ut ita
dixerim spectat / ut ne quidem possit ali
quid agere tantum unum / Sed in plura
non eodem die modo / quin et eodem temporis
momento vim suam impendat / Reficit